

**Dissertatio inauguralis medica de viola martia purpurea / [Johann Andreas Benedict Grauel].**

**Contributors**

Grauel, Johann Andreas Benedict, 1691-  
Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.  
Universität Jena.

**Publication/Creation**

Jena : Krebs, 1716.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/a6mjedn8>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

25410/P  
1177

B. C. D.  
DISSERTATIO INAVGURALIS MEDICA  
DE  
**VIOLA MARTIA  
PURPVREA,**

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO  
**GVILIELMO HENRICO,**  
DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM,  
ANGARIÆ, WESTPHALIÆ, ET RELIQUA,  
SUB PRÆSIDIO

**GEORGII WOLFGANGI WEDELII,**  
HEREDITARII in Schwarza/  
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI,  
SACRÆ CÆSAR. ET CATHOL. MAIEST. AC  
SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII  
ET ARCHIATRI,  
THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII,  
h. t. PRO-RECTORIS MAGNIFICI,  
**PATRONI, PRÆCEPTORIS AC HOSPITIS SVI, DEBITÆ OBSER-**  
**VANTIÆ ET AMORIS STUDIO AD CINERES COLENDI,**

**PRO LICENTIA**  
IN SIGNIA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA, MORE MAIORVM,  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDI,  
PVBLICÆ AC SOLENNI ERUDITORVM DISQVISITIONI SVBMISSA,

A.  
**IOHANNE ANDREA BENEDICTO GRAUEL,**  
GOTHANO,  
Ad d. XV. Ianvar. MDCC XVI.  
**IN AVDITORIO MEDICO,**  
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

DUOBUS  
MEDICINÆ SIDERIBUS  
DOCTRINÆ, VIRTUTIS ATQVE EXPERIENTIÆ  
RADIOS VNDIQVE DIFFUNDENTIBVS,

VIRIS  
EXCELLENTISSIMIS, AMPLISSIMIS,  
EXPERIENTISSIMIS,

IOAN. CHRISTOPHORO  
SCHNETTERO,

MEDICÆ ARTIS DOCTORI CELEBERRIMO;  
SERENISSIMÆ DOMVS SAXO-GOTHANÆ ARCHIATRI ET  
CONSILIARII PARTES FAVSTO SIDERE SVSTINENTI  
FELICITERQVE ADMINISTRANTI:

VT ET

GEORGIO HENRICO  
BACHOVIO,

EIVSDEM ARTIS DOCTORI GRAVISSIMO,  
OMNES MEDICI DVCALIS AVLICI CONSILIARIQVE,  
ET PATRIÆ VRBIS PHYSICI ORDINARIIL, SIMVLQVE  
CONSVLIS GOTHANI NVMEROS CVM LAVDE-  
IMPLENTI;

NEC NON



NEC NON  
MEDICO ANIMARVM SOLERTISSIMO  
STRENVO QVB VERITATIS CHRISTIANÆ  
PIETATISQUE ASSERTORI,  
VIRO  
MAXIME REVERENDO AC AMPLISSIMO  
IACOBO BENEDICTO  
LVDOVICI,  
THEOLOGO MVLTIS MERITIS CONSPICVO,  
SACRORVM GOTHANORVM AD S. MARGAR. ANTISTITI  
VIGILANTISSIMO GRAVISSIMOQVE,  
SVO E SACRIS BAPTISMATIS VSCEPTORI,  
DOMINIS, PATRONIS ATQVE FAV-  
TORIBVS SVIS  
OMNI HONORIS ET AMORIS CULTV  
SVSPICIENDIS, OBSERVANDIS, COLENDIS,  
ELI-

OMNI FELICITATEM OMNIGENAM  
HOC INEVNTE PARITER, ET COMPLVRIBVS ANNIS ALIIS

A  
SVPREMO CVIVSVIS FELICITATIS FONTE  
P R E C A T V R,  
ET SIMVL  
SCRIPTAM HANC SVAM

D E  
V I O L A M A R T I A  
DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM,

P V R P V R E V M  
GRATÆ AC DEVOTÆ MENTIS ODOREM  
POSTEA DIFFVSRAM  
INTEGRITATIS QVE PERPETVÆ  
TESTEM,

H A V D SECVS AC APVD PRISCOS,  
FVTVRAM,  
D. D. D.

Io. ANDREAS BENEDICTVS GRAUEL.



I. N. I.

## PRÆFAMEN.

**H**abent suas quælibet Facultates eruditæ orbis amoenitates, cum in se & suis locis, cum ab autoribus certis excultas & selectas.

Quis enumeret illas in sacris literis? vbi *καὶ οὐχὶ* excellunt diuinæ & omnium fulgidissime emicant, tanto excelsioris gratiæ, quanto immortalem mentem magis, & nunquam satis, imo æternum, delectant.

Quis non easdem in iustis & æquis Themidos loculis ac thesauris admiretur, diuinarum æmulis? *ἐν δικαιοσύνῃ συλλέγειν πάντας ἀρετήσι.* In iustitia in summa omnis virtus extat, eaque omnium pulcherrima.

Quis non delectetur in vniuersa Philosophia, & Musarum choro? Parnassus omnis redolet a-

A 3

mos-

moenitates, & celebrant easdem cultores diuer-  
fissimis modulis. Coeli enarrant gloriam Dei,  
& fulgida astra, & terræ sidera.

Relinquemus singulis suas: Seorsim diuina ars  
medica arrogat sibi non infimam inter omnes reli-  
quas partem. Deus & natura nil faciunt frustra,  
quod dici solet, nil nisi pulcrum vniuersus mundus  
ostendit ac ostentat, eiusque conditorem summum  
deprædicat.

Liceat saltim arti nostræ foenerare aliquid et-  
iam præcipui in sua laude, seu macrocosmum re-  
spicias, seu microcosmum; hæc duo enim sunt a-  
moena singularia, nil vtroque pulcrius.

Quod si diffundi velimus ad laudandos pro-  
fundissimos naturæ thesauros, inenarrabiles extant  
suæ amoenitates, si vel vnam solam materiam me-  
dicam, quam vocant, lustrare velimus. Ex his  
velut corollam iam nobis porrigunt VIOLÆ MAR-  
TIÆ PVRPVREÆ, flos ut mole minimus, ita amoenitate  
coloris odoris, viribusque maximus.

VIOLÆ nempe salutari magis usu, quam eius  
florentis venustate ac odore suavi nunc allecti,  
hanc, a Thuano quondam Carmine Heroico Pari-  
siis celebratam, nos in duobus capitibus ita describere  
aggredimur, ut breuiter, in primo VIOLÆ MARTIÆ  
natu-

DE VIOLA MARTIA PURPUREA.

naturam & præparata solennia, in altero autem cum simplicis, tum præparatorum egregias vires simus consideraturi. Conatibus his ante omnia supremus annuat & aspiret conditor, omnisque boni & amoeni autor.

CAPVT I.

*Violæ Martiæ naturam &  
præparata exponens.*

T in Scholis medicis insignis circa Philologiam Disquisitio occurrit: ita in primis circa VIOLÆ MARTIÆ Nomenclaturam, hinc & Discrimina & homonymiam non pauca notanda obueniunt.

Receptissimum est, illam a Græca voce ιών deriuare, florem aut VIOLAM denotante, spiritu leni immutato, quod & in aliis solenne est, ut in ipso Nomine vini ad Græcum οἰνῷ relato, vnde & ī Latine vocat Plinius.

Aliis a Latino violare deriuatur, quod manibus decerpnda non minus violetur, ac pedibus conculcetur. Aliis quasi minus violata, iterum aliis, quasi dicas non violanda, imo & a vi olendi, & quæ aliæ sunt allusiones, ut quod iuxta vias reperiantur in hortis.

Idem & de Græco ipso valet, vt ιών dicatur ab ιέναι, sed minus bene: imo quasi ιών, alio sensu solum, hoc enim

## DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

etim, teste Tzeze, etiam remedium notat, eleganter admodum, vel a vi medica, διατροφή ιατρίζει. Adde, quod non nascatur ίον, solum, de quibus plura apud Criticos, Perottum, Eustadium, Gouldmannum, Beermannum, qui Ιωσηφογράπτως Iosephum Scaligerum dicere scribit ab ίον, & alios videri queunt.

Generali voce videntur adserere Poetæ ab ίο dictam, quæ a Ioue conuersa esse fingitur in vaccam, pro cuius pabulo, Iouis, amasii sui, iussu in campo succreuerint VIOLÆ, vnde & Latini VIOLAM quasi vitulam appellant.

Quod si Botanicorum & alios campos lustremus, non minus ex horum usu, ac aliis argumentis argutari possumus, violarum nomen non raro pro floribus aliis gratiosis accipi: non modo generalius, ut viola matronalis aliæque, sed & tam specialius 1. pro Leucoio. Quid enim est aliud λευκόιον, quam viola alba? 2. Pro leucoio flore luteo, quod Mauritanico nomine Keiri vel Cheiri audit, & maxime apud Germanos gelbe veilchen.

Indirecte paulo huc spectat leucoium; proprie enim nec characterem violæ habet, nec nisi nomine cum viola, proprie dicta, conuenit, vulgo imposito: seu bulbosum reputes, quod potissimum hexaphylon vernale est, & triphyllon, apud nos copiose crescens; seu non bulbosum, quæ nec ipsa nisi nomine congruunt, vnde non opus est latius ipsis inhærere.

Specialissime vero pro VIOLA nostra labor noster occupabitur, quæ inter proprie dictas principatum tenet, & speciatim allegorice pro delicato, accepto, amoeno, gratoque exponendum videas, quod cum rosa VIOLA haber commune. Ita Tullius: an tu me in viola putas, an in ro-

**VIOLA MARTIA PURPVREA.**

sa dicere; Et Martialis l. 9. 12. Nomen cum violis, ro-  
sisque natum,

Item l. 10. 32. Hæc mihi, quæ colitur violis pictu-  
ra rosisque.

Si classes alias a communibus pharmacopoeis recen-  
sitas sub viola reputemus, alii vnam solam, vel potissimum  
meminere: quidam duas, ut Dale in pharmacologia,  
**VIOLAM MARTIAM nostram** purpuream, & tricolorem ere-  
ctam, quam trinitatis vulgo vocant.

Mittimus plures aliorum varias **VIOLARVM Classes**, de  
quibus Botanici recentiores; tres nihilominus in qui-  
busdam recensentur officinis, *purpurea*, *lutea* dicta, &  
*tricolor*. Notabile vero est, ut Græcis ιον, & ιωνία  
dici consuevit; ita Latine *viola*, de flore, *violaria* ///  
vero visitate magis de herba prædicatur.

**Kαὶ ἐξοχὴν** Purpurea cognominatur ut a co-  
lore, ita, apud Europoeos nostrates, **VIOLA**  
**MARTIA**, a florendi tempore primo, quoniam  
flos eius omnium vernalium primus, primum sub mensis  
Martii finem progerminare obseruatur, aduentumque ve-  
ris mortalibus nunciat.

Color proprius, principalis & essentialis expeti-  
tus item & gratissimus est, a quo audit *purpurea*,  
licet stamina, filamenta media, antheræ, luteum quid  
obtineant. Hinc Germani quoque florem *blau-Viole*, o-  
der *Mertz-Viole* nuncupant.

Neque adeo differunt ιον *viola*, in neutro, & ιὸς, æru-  
go, seu rubigo, quin alterum cum altero conuenientiam  
quandam in colore habeat, modo scoriam & rubiginem.

DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA  
ferri intueamur, coeruleo vel rubello colore conspicuam.  
Et violæ & ferri color aliis contra variat.

Notabile est apud Celsum Violam occurrere & nominari duplicem, albam & purpuram l. 5. c. 11. Apud Coum laudatam vix aliam quam albam, neque tamen ideo fuisse incognitam putandum; apud Theophrastum crebrius.

Operæ vero pretium est, & illud laudare, meminisse Hippocratem s. 2. de nat. mul. c. 29. t. 9. λευκοῖς ριζαν οὐ μέλανος, leucoii nigri radicem, in vino ad secundinas educendas, & menses detrahendos, cuius simpliciter dicti leucoii albi semen prius ibidem nominauerat. Neque vero per leucoium nigrum aliud intellexerit, quam violam purpuream, scilicet ipsissimam nostram, quod mirum est, Foesium non vidisse, neque enim eius loci meminit in oeconomicia sua.

Poetis pariter ac Botanophilis *Viola* audit *nigrum*; Dioscoridi Libr. 4. cap. ii. Theophrasto Eresio Libr. I. cap. 21. p. m. 23; Græcisque aliis scriptoribus ιων, & ιων πορφυράν, & ιων μέλανην μελάνιον appellatur, dum efflorescere incipiens colorem tam præ se fert purpureum, qui ad nigrorem vergat. Item nigredinem tanquam colorem extremum rubedinem varie temperare & modificare notum est.

Curiosum quoque est, sine dubio ob latitudinem votis, propter odorem, Dudaim Iudæos interpretari violas Genes. 31. v. 51. & sic in Talmud. Vid. Buxdorffium in Lexic. p. 138. Mammola vulgo dicitur Cæsalpino *viola* hæc purpurea, & Italica communiter, quamuis & de aliis vox illa prædicetur, & de floribus acceptis caryophyllis, in Lexicis.

Cum.

DE VIOLA MARTIA PURPUREA.

32

Cum VIOLA nihilominus MARTIA occurrat vel odora, vel inodora, vulgo canina, prior a nobis describenda apud Casparum Bauhinum *Martia Purpurea*, flore simplici odoro insignitur, sub VIOLÆ MARTIÆ foliorotundo cum aliis speciebus comprehensa, atque VIOLÆ MARTIÆ classibus, quibus folium oblongum est, contradistincta.

Flos iste suauiter olens non in hortis solum nascitur, sed in cultis quoque locis sineulla odoris diminutione. Et haec planta existit, quamplurimos petiolos longos a radicibus fibrosis ita obtinens, ut multis eorum *folia ex rotundo* nonnihil *oblonga serrata* appendantur; singuli autem intermedii florem pentapetalum irregularē ex coeruleo purpurascētem, odoris suauissimi, sustineant. E quibus VIOLÆ nostræ partibus floris compositio tanto exactius primo loco meretur indigitari, quanto potiori iure VIOLA ista inter eas plantarum species a recentioribus in re Botanica viris, v. g. Excellentissimo RIVINO, Præceptore nostro nunquam satis colendo refertur, quæ flore pentapetalō eiusmodi irregulari gaudeant, cuius pistillum iuxta Tournefortiū fructus euadit, non nisi cuitate quadam præditus.

Vnde omnis florū VIOLÆ textura naturalis clariori radiabit luce, si ipsa autorum recentiorum subiungam verba. Ita Tournefortius in inst. p. 418. florem VIOLÆ ad papilionaceos accedere putat, vt duo superiora petala vexillum, totidem lateralia alas, & inferius caudatam carinam repræsentent: sed, notante Excellentissimo Sleuogtiō nostro, manifesta visitur dissimilitudo; cum papilionacei sint tetrapetali, & carinam, superiora versus reflexam, habeant.

Huius elogio Viola florem gerit in calyce quinquefolio pentapetalum, irregularem, seu difformem, cuius petalum inferius in calcar desinit. Ex pistillo fit capsula seminalis coriacea, exterius fere triangularis, sponte in tres partes carinas referentes, & multa semina subrotunda alba continentes dissiliens.

Nec notas eius genericas alias inclytus ille Botanicus Ioh. Raius afferit, quam tum Capite citato, florem pentapetalum difformem, seu dictum irregularem, in quo nomine & alii conueniunt, calcari donatum & vasculum seminale ternis loculamentis distinctum ait; tum Methodo Plantarum aucta & emendata p. 112. florem caudatum papilionacei æmulum, & vasculum seminale per maturitatem in tres carinas seu alveolos dehiscens, & semina effundens, carinæ basi, seu mediæ parti, duobus ordinibus adnascentia.

De fructu interim seu vasculo notat, quod, etiam si in tres partes dehiscat per maturitatem, non tamen in tria loculamenta diuidatur, prout incaute ex intuitu partium dissidentium ipse fuerit opinatus.

Hæc sicut latiori paulo sensu, & quadam vel quasi analogia, vel similitudine, concedi possunt; ita cum simile non sit idem, curationi strictura curiosissimi Botanici D. Christiani Knauthii commendandum est porisma: *Flos Vio. LÆ non est papilionaceus, sed caudatus, cuius vasculum seminale non ternis loculamentis distinctum, sed vni. capsulare trigonum obseruatur, quod per maturitatem in tres carinas dehiscit, Method. Plantar. genuina Cl. VI. Sect. II. p. 234.* Laudato RIVINO proprie VIOLA dicitur, cui flos pentapetalus corniculatus, fructus triualuis, semine rotundo prægnans est.

VIO-

Aliis VIOLA MARTIA est planta capsulata; semen obtusum paruum, rotundum, pyriforme; radicem fibrosam, florrem ex cœruleo purpurascens suauiterque olenem, cuius petala ex rotundo nonnihil oblonga sapore leuiter aceris linguam feriunt, sub veris maxime initium in hortis locisque incultis proueniens, ac ob partes aquosas, salino-sulphureo terreas, ad varios in re medica usus impendenda.

Haud immerito autem VIOLÆ nostræ conformatiōnem in descriptione superius proposita, cum coloris ex cœruleo purpurascens expressione restrinxī, quo VIOLÆ MARTIÆ albæ, minus Officinali, etiamsi quoad omnes partes cum nostra conuenienti, contra distinguerem.

Curiosum est, extare violis non tantum cognatos quosdam flores, quam etiam plane eosdem, eiusdem videlicet plane commatis, sed variantes, simili fere charactere donatos. Ita dantur violæ, quas ex horto Principali Arnstadiensi accepimus, & uno alteroque anno alium, reuera gentianæ luteæ, cæteroqui ut ouum ouo similis, quoad radices puta, folia, & *νατ' ἐξοχὴν* flores, singulares & rariores plane. Ita omnino ludit & in dictis diuina potentia plantis, summe deprædicanda.

Inter affines etiam numerari queunt & debent violis, quoad flores potissimum puta, viola arvensis merito appellanda, consolida regalis, barbare vulgo calcatrippa, calcari homogeneo reuera constans, accedente flore con colore quoque egregio, differentia in reliquis insigni & accidentibus extante. Est enim a loco arvensis, diuersa foliis, viribus aliisque distincta.

Offendimus etiam affinitatem consimilem in floribus

bus, charactere præcipuo, & similitudine, ne reliqua iam conferamus, in nasturtio Indico vulgo insignito, maiori & minori, alias & conuoluulis simili, neutiquam vero in aliis, ut in primis colore, sapore, & viribus, quibus nasturtia exprimit. Neque tamen abnegabimus, æmulari etiam antiscorbutica quodammodo polychresta virtute alia antiscorbutica violas, aperitiua, aliaque nitrosa salina violariam.

Eandem affinitatem offendimus etiam in floribus cymbalariæ delicatis satis, diuersitate tamen itidem insigni a violis, in foliis & aliis, ne iam de pluribus censimilibus inquiramus.

Dimisso iam flore, breuiores erimus in VIOLÆ foliis ac radicibus enodandis: folia quippe, quorum respectu VIOLA nostra etiam, per dicta, VIOLARIA nuncupari solita, flore cum foliis, e radicibus & Sarmentis multa exire, ex rotundo aliquantum oblonga, serrata, & longis pediculis appensa; a radicibus autem fibrofis, aliquando in plura capita diuisis multa clemata emitti, quæ fibris subinde demissis radicentur & plantam propagent, a Iohanne Bauhino annotantur. Vid. Raii Histor. Plantar. Libr. 19. Cap. 5.

In Pharmacopolijs nihilominus non tam radicum, quam foliorum, florum & seminis VIOLÆ MARTIÆ talis habetur cura, ut partim folia & flores cum seminibus colligantur, & exsiccata asseruentur, partim ex floribus potissimum varia præparentur.

Folia non solum recentia obseruantur mucilaginosa, quemadmodum Floderus in Lapide Lydio afferit, sed & exsiccata. Flores autem quamuis præter mucilaginosum

DE VIOLA MARTIA PURPUREA.

15

sum sapore leuiter acri linguam feriant & odorem fragrantem spirent, exsiccati tamen omni acrimonie omnique fragrantia destituuntur, subdulcem saporem gustus organo imprimentes.

Horum ultimorum vice in Officinis saepe florem Trinitatis, seu Violam tricolorem exsiccatam asseruari, Charas &que Pharmacop. Regia p. 334. &c celebris ille Parisiensium Aromatarius Petrus Pomet in sua historia simplicium Libr. 6. Cap. 12. p. m. 188. praeter alios notarunt, quod color eorum sine negotio euanescat.

Affectiones reliquæ violarum occurunt quoque, a Dioscoride, Cæsalpino, Fuchsio & quam plurimis aliis notatæ. Instar omnium vero illas apud Eresium præcipue laudatas offendas, ex quibus aliquot saltim pro nostro scopo memorabimus.

Exigua est herba & humilis, non attollens faciem altius, velut terræ adhærens, nec alta aspirans. Λειφυλλος prædicatur inter alias, sed non apud nos absolute. Nihilominus tamen illius ut plurimum, & per ipsam hymenem saepius flores, iam conuoluti licet, & veluti immaturi iam vici possunt, maxime aprico soli exposita herba.

Propagantur auulsione & semine insperso. Inter se Πανωτικὰ seu coronarias emicat, gloria terræ, prænuncia veris, a leucoio, ipso Eresio teste, altera & reuera quoque primula. Vnde & duplex ab eodem laudatur, quamvis improprie paulo, vt de aliis quoque, alba, & nigra; glosaria & ordine cum rosa inter illas certans, adde colore & odore, seu amoenitate & gratia, τὸν ἔνοτμον, & rosa singulæri prærogativa.

Enim.

## DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

Enim uero in Violis soli flores odorati, quod cum rosis habent commune, nulla alia parte hac  $\epsilon\zeta\chi\eta$  praedita. Vtrique vero hi flores in aliis succedanea habent, violæ in radice iridis Florentinæ, hinc *Veitwurzel* dictæ, ut & in terebinthinatis, illis similibus, vt in balsamo sulphuris vrinæ odorem violaceum inferunt. Rosæ vero in radice rhodia & ligno rhodino, eiusque oleo destillato. Id vero curiose iamdudum Eresius coctioni seu digestioni, resolutioni, sulphuris digesti, subtilis, indeque dulcis & grati, acceptum refert. Vnde & *αθενες*, verbis eiusdem, *Ιαχυ διαπνειθαι*, debilior celeriter euanescat: vnde violæ nigræ & candidæ odorem  $\tau\epsilon\nu\sigma\mu\lambda\mu\eta\tau$  exiccatæ non retinent. Mittimus alia non pauca, huc si vacaret latius referenda.

Duo tamen his addemus, primum quod dantur & lapides violacei odoris, qualem in Silesia inueiri, Vid. Ephemer. German. Decad. II. An. IX. p. 459. & apud Variscos repertos obtinuimus, quamuis & ille odor sit transitorius, sulphuri tamen subtili penso debitus. Deinde & dignum animaduersione esse quosdam, qui loco violæ reuera Latinæ originis Leucoium, imo Leucoiam, nominant & substituunt, non Latinam sed Græcam plane vocem. Extat illa denominatio apud Philomusum Anonymum a D. Michaele Toxite editum; omisso & excluso violæ nomine, p. 203. Leucoia scribit, *der blaue veil*, an ignorantia Linguæ Græcæ, an Latinæ, an utriusque, quod indictum noluimus, in primis icone & descriptione ipsiusmet violæ genuinæ addita.

Addi meretur & illud Plinii: violæ odor a longinquo suauior, quod ex Eresio desumpsit l. 6. de cauiss. Plant. c. 23. ob effluvia subtiliora, quæ animos magis expi-

spirat, eaque puriora, quod ibidem addit ipse, videndus omnino.

Imo, ne illud quoque omittamus, cum certas herbas certa non raro insecta ament & incolant, vt inter alias ipsas quoque violas deamant apes, & melli suo inferunt etiam delicias & nectar earundem; seorsim etiam curiosiores annotarunt in recentibus violis copiosissimos saepe discurrere vermiculos, lacertas aquaticas referentes. Spes inde est, suo tempore, vt hactenus herbarum characteres, ita in posterum forte etiam animalculorum & insectorum clariorem suam lucem habituros.

Semen demum VIOLÆ purpureæ paruum rotundum seu pyriforme ac albicans Flogero laudato mucilaginosum pariter & acre visum fuit, quod tamen aliquandiu asseruatum, saporem subacrem & leuiter amaricantem in mea post se relinquebat lingua.

Violariæ integræ analysin Chimicam instituere, facile fuerit, vt corpuscula, ex quibus constat, distinctius & seorsim quoque aquosa, salina, sulphurea & terrea pateant. Idem vero potius ex ipsis floribus obtinuimus, cum in copia prostent & abundant. Inditi enim in retortam vitream ex arena prodidere per destillationem spiritum cum suo phlegmate acidulum, instar spiritus tartari in miscela cum sale alcali effervescentiam excitantem, cum Oleo etiam vero empyreumatico, minus sale volatili explicito.

Idem & ex herba ipsa facile fieri & exerceri, seu experimentum inde fieri potest, idque celeberrimus præterea Galliæ Botanicus Tournefort in Historia Plantarum circa Parisios prouenientium idiomate Gallico edita p. 170.

recenset, quod Regia scientiarum Academia varios liquores acidos, multum Olei, & salis tam volatilis concreti, quam fixi lixiuiosí satis e VIOLARIA per examen Chimicum obtinuerit, quod forsan maiori copiæ insumptæ debetur, & igni fortiori. Vnde le Mort quoque Pharmac. Medica Physic. p. 34. editione in 4to VIOLARIAM succo alcali salino viscoso gaudere, legitur asseruisse.

Tandem in Pharmacopoeorum Officinis, si AQUAM VIOLARIAE excipias, ex floribus aqua, siropus cum simplex, cum solutiūs & compositus Mesuæ, IVLEPVS VIOLARVM, ACETVM, OLEVVM per infusionem, TINCTURA & CONSERVA solent elaborari, ad stipulante Shrædero Thesaur. Pharmacolog. Libr. 4. Class. I. p. 201.

Modus vel ex integra herba, vel ex solis floribus, a- quam post sufficientem aquæ vulgaris affusionem destillandi, omnes inter constat, quæ saporis fatui, ita enim insipidus seu ~~amor~~ dicitur. Vt enim odor acutus de violis prædictatur a Plinio, ita idem de sapore non valet, particulis volatilibus odoriferis dispersis & obliteratis, interstinctis in destillatione reliquis, neque tamen plane incers iudicanda est.

Pro Sirupo autem VIOLARVM simplici, coloris eleganter ex coeruleo purpurascens obtinendo, flores recentes roreque matutino adhuc madidi a calycibus viridis exacte mundati in cantharo stanneo & operculo munito, per vnum alterumue diem aquæ simplici infundantur, donec Tinctura saturatior fuerit extracta, quæ decantata, cum duplo sacchari, per levissimam ebullitionem in vase stanneo in consistentiam siripi debet inspissari.

Multa namque coctio, notante accuratissimo olim  
Chi-

Chimiastro Ludouici in MSSto ad Schroed. Pharm. sedulo  
euitanda, ne color violaceus in rubrum mutetur. Bo-  
num quoque sirupum digestione cum aqua feruida e sic-  
cis haberi poss<sup>e</sup> floribus, recte censem modo dictus Erudi-  
tissimus Ludouici loco citato.

Obtentus autem sirupus eiusdem coloris proprii er-  
go, in vase aliquo terreo, docente supra iam laudato  
Charas Pharmacopœo Regio celeberrimo in Pharmac.  
Reg. Cap. 15. asseruandus, licet Clarissimo Hoffmanno in  
notis ad Poterium pag. 421. superfusus spiritus vini recti-  
ficatus optimum reputetur arcanum, sirupum hunc a cor-  
ruptione defendendi.

Nec sirupus VIOLARVM, qui dicitur solutiuus, aliter  
conficitur, nisi quod infusio recentium florum aliquoties  
repeti debeat, antequam saccharum addatur, atque lenis  
ebullitio accedit, cum sirupum VIOLARVM compositum.  
Mesuæ, Mylius Basilicæ Chimicæ Libr. 6. cap. 42. p. 1377.  
ex floribus VIOLARVM 3ij. semin. cydon. malu. a. 3j. iu-  
iubarum, sebesten No. xx. aquæ cucurbitæ lbvi. vel q. s. sac-  
char. lbij. secundum artem fieri doceat.

Pertinet huc ESSENTIA melliformis, qua de legi potest  
Vir in artis Medicæ Pharmaceutica parte incomparabilis  
Ludouici in Pharmac. Modern. editione nouissima p.m. 301.  
IVLEPVVS autem VIOLARVM vulgaris non nisi sirupus est ex  
aqua violarum cum sufficienti saccharo concinnatus.

ACETVM sicuti ex infusione florum recentium vel sic-  
corum in aceto, in vase stanneo potissimum paratur, sed  
vngues seu alabastriculi minus indendi, quia lentorem  
conciliant: vid. Sim. Pauli p. 160. Ita OLEVM pariter ex  
simili infusione in oleo oliuarum, vel omphacino, delica-

tius amygdalino acquiritur. Tinctura non quidem VIOLACEA, sed rubicunda, phlegmate Vitrioli promte extrahitur, licet Hermanno in Cynosura Materiæ Medicæ pag 244. Flores VIOLARUM in aqua Borraginis, Buglosæ q. s. infundere ac tantillum spiritus sulphuris addere placeat pro tinctura obtinenda.

Sed de hac accuratius disquirere, magis ad me pertinere videtur; Tinctura videlicet ista dum citra spiritum vini aut aliud potentius menstruum, aqua, vel communi vel destillata quadam, ut Roris maialis, vel propria, seu sero lactis, vel phlegmate Vitrioli, aut liquore quodam in destillatione alicuius rei separato, sicuti aliæ vegetabilium Tincturæ, diffusior paulo, illud habet incommodi, quod facile situm contrahat ac corruptatur, quia sufficiens balsamum ipsis deficiat, & heterogeneitas particularum adsit, ideoque, ut ex Wedelianis didicimus scho-  
lis, egent quibusdam cautionibus.

In genere minor hinc quantitas confici debet, & de novo potius recens parari, vel ex tempore quasi, pro breui saltim mora & duratione. Perinde fuerit, an ex recentibus floribus, an exiccatis paretur, quamuis humiditas aqua magis corruptelæ sit obnoxia.

Et cum colore & odore magis fugaci, & vix ultra semestre spatium durabili, adeoque quasi superficiario gaudent, ab aere defensi longius durant.

Acetum ipsum constantiorem Tincturam fœnerat, & purius in primis etiam destillatum; affusum videlicet pro Tincturæ extractione.

Notabile est tamen, floribus VIOLARVM etiam priuatissimam suo colore visis nativo, reddi eiusmodi Compendiis

diis etiam talibus elegantiorē, & actiuorem conciliari tincturam, nec tam facile deperdi, vel in colorem viridem degenerare, quem alias alcalia affusa foenerant.

Intendi etiam potest color coeruleus, addito metallo appropriato, Ioue scilicet, quem etiam in antihectico Poterii ostendit ab eius regulo.

De hac præparatione vid. Compendii Chimici Wedeliani haud ita pridem typis mandati Libr. IV. Cap. I. p. 160. Satis est, tincturas has pro modulo suo acidas, refrigerantes & temperantes, iuxta alios variare ad scitis spiritibus acidis, dum alii, vti in aliis floribus coloratis, sic quoque in VIOLARVM Tinctura rectius & citoius adornanda, vti antea iam de Hermanno feci mentionem, ad leuem acorem vsque acidum aliquem spiritum, v. g. spiritum salis, spiritum Vitrioli philosophicum, alii Vitrioli, alii & Clyssum Antimonii eligere volunt magis. Imo & fumum sulphuris, velut spiritum siccum, adhibent quidam, & sic intra paucas fere horas tingitur aqua colore rei cui affusa est, multo elegantiori.

Et sane vt alii Tincturam violarum roborare denuo clyssi antimonii sulphurati accessione assolent: ita hoc ipso solo & præcipuo, cum vel sine prævia seruida aquæ infusione tum harum, tum florum papau. rhoeados Tinctura elegantissima consurgit, in potum indenda, constantior & efficacior. Quando vero situs auerruncandus in reliquis timetur, ne eum contrahat hæcce Tinctura, vbi spiritus acidulus solus minime sufficit æque, loco spiritus vini simplicis tantillum Tartarisati addi potest.

Quare ad laudatum ductum ingeniosissimi iuxta & accuratissimi D. Bohnii, Præceptoris mei, cum Lipsiæ stu-

diorum causa agerem, summi honoris cultu deuenerandi, in Notis MSSStis ad VIGANI medullam Chimicam, citior & ex tempore quasi obtinetur Tinctura coerulea & colorrem VIOLARVM exactissime referens.

R. flores VIOLARVM a caulis viridibus separati, integri, non conquassati: (sic enim pariter colorem mutant:) v. g. ad 3j. superfunde aquæ ad ebullitionem feruentis lib. iij. & quidem in vase stanneo, spiritus Vitrioli 3j. aut plus, repone in loco quodam calido per aliquot horas, usque dum menstruum tinctum appareat: Hinc per filtrationem separatur, residuum exprimitur, & filtratum reliqua Tincturæ commiscetur. Hæc Tinctura oculis valde blanditur, utque gustui etiam sit grætior, solet addito saccharo dulcari.

Non occupabimur in conscribendis pluribus processibus compositionum; sufficiat sequi Dispensatoria & Pharmacopœias receptas, vel imitari unicum laudabilius exemplum ex Chimiæ in Artis Formam redacta Roflinciana, Tincturæ & iulepi, pro lubitu variandæ, proportione debita in simplo, vel duplo pro exigentia:

R. fl. viol. Martial. 3B. aquæ feruent. canthar. j.

Spiritus vitrioli 3i.

Sacchari 3i. vel q. s. filtranda, & exaltanda aquæ cinamomi modico.

CONSERVA denique VIOLARVM ex floribus contusis & saccharo ut plurimum resultat. Si tamen aut liquidior cum Charas, aut manna cum Hermanno postuletur, floribus contusis, vel aquam eorum destillatam & saccharum, vel succum expressum & mannam oportet admiscere.

CAPVT

## CAPVT II.

# VIOLÆ MARTIÆ

*cum partium, tum præparatorum, vi-  
res Medicas euoluens.*

Cum vires & VIOLARVM ab eatundem qualitatibus dependeant, ab his illas metiri par est, vt indices & effigies æstimando. In primis qualitatibus communiter, si non ab omnibus, plerisque tamen iudicantur FRIGIDÆ in primo gradu, & HVMIDÆ secundo, teste Schoenbornio in Manuali Practico, & a Simeone Sethi Syntagmate de alimentis, Lit. i. cap. 4. p. 42. Et hic quidem inter ALIMENTA Violarum meminit; sed vix inter hominum cibos hodiernâ luce communiter meruerit locum, nisi tempore annonæ caritatis, & illo, quo & vrticæ & lampasæ aliaque hodie obsoleta frequentari fuere solita.

Insignis tamen locus est apud Guil. du Vallium Phytolog. Libr. I. de herbis edulibus seu alimentariis p. 286. Tres haec herbæ, inquit, buglossum, borago, viola, edules sunt. Viola enim esitatur a quibusdam, etiam cum spinachiis, tempore quadragesimali, vnde & quadragesimalis quibusdam audit. Idem etiam applicare possumus ad iuscum & potus vernales medicos, ex herbis variis & floribus, ad aetaria inspergenda iisdem, ne aceta medica, ad condendos pisces, cibos, morsulos ipsos, ubi & flores colorati insuntur, memoremus.

In secundis qualitatibus mucilaginositas quedam in floribus & semine ad emollitionem disponit. Leuis acri-  
monia

monia & amarities ad incisionem, apertioñem, emolliionem, diureticam virtutem facit; & sic porro.

Vires hinc VIOLÆ MARTIÆ, rite in usum vocatae, in corpore nostro tum alterantes sunt, tum etiam euacuant, tum seorsim, tum solenniter magis & coniunctim. Emicant sic HERBÆ QVINQUE EMOLIENTES, althæa, malua, mercurialis, parietaria, violaria, in clysteribus, balneis, fôtibus, cataplasmatibus. Variandæ quidem aliis similibus, symbolicis, inter illas vero omnino si non primæ & præcipuæ, tamen non facile omittendæ. Idque utroque nomine laudato, alterandi & laxandi, reuera poly-chrestæ. Eleganter Rolfincius Ord. & method. comment. Libr. 5 sect. I. c 15. p. 462. VIOLÆ MARTIÆ benignitas magna est, frigiditate sua omnis generis caloribus medetur, & subducit aluum.

Alterant namque herba, seu folia, flores, aqua destillata omnis, sirupus simplex & compositus Mesuæ, Iulepus, acetum, oleum, Tinctura & conseruatum vulgaris, tum liquidior. Per aluum blande subducunt, semen, sirupus solutiuus & mel violatum, & Conserua manata, ne vim diureticam repetam, quam semen Violarum vna exferere obseruatur. Et hoc ex simplicibus & crudis fit, interno & externo fine & scopo, materia remedii omnino insigni & laudatissima,

Exemplum gloriosum alterum confortandi constituunt FLORES QVATVOR CORDIALES, rosarum, violarum, borraginis, buglossæ. Hi sane a nemine non recepti, concessi, & laudati sunt, toto die & nemine quasi dissentiente pro iis habiti. Mirandum hinc dari & inueniri in re tam clara & euidenti, qui id neget; & id inuenias tamen. Est, qui id sustinuit laudatus iam Simeon

Sethi

Sethi l. c. Sane laudem meretur, aliis Græcis contra, quod manifeste VIOLIS arroget & asserat vim purgandi, seu *κατεπινήσῃ*. Vtrumque affirmat, dolores capitis, *inquit*, quos flava bilis causat, si bibantur, vel odorentur, finiunt. Si etiam ventriculus, vel intestina flava bile luxurient, ipsam euacuare.

Sed addit, quod laudem imminuat: Præmisso enim: doloribus quoque intestinorum profund, subdit: Βλαδης δὲ τὴν καρδίαν, cordi tamen obsunt, sed nulla addita ratione, nullo experimento. Enim uero cum innoxia temperante & fragrante virtute spiritus manifeste reficiant, retorridum æstum contemperent, diluant & refrenent, frustra omnino id quis negauerit, contra omnium quasi seculorum fidem.

Neque ipsa euacuandi virtus hunc reatum subierit, vel intulerit. Tantum enim abest, vt *δρασικὴ* vis illa purgandi vim aliquam inferat, vt potius lenis, benedicta plane & blanda illa virtus se exerat, nec ullatenus de- prædetur spiritus & vires vitales, vt vtrumque locum habere queat omnino. Quare id merito repetimus, confortare & euacuare innoxie, vt vtrumque stare merito possit, neque alterum alteri deroget.

Imo hodie inuentum est maxime congruum naturæ, spiritibus, humoribus, nervis, purgantibus etiam ipsis propriis maritare neruina, cinnabarina, insigni naturæ solatio & præsidio, imo sic corrigerre, aliis omnibus quasi contra & suavi affectione, vnde operæ pretium fuerit, speciatim illustrare VIOLARVM hanc virtutem purgantem, quo rectius omnia pateant. Enim uero debetur eadem acrimoniae salino-nitrosæ-sulphureæ, blandæ, fermentatiæ stimulanti, eique respectu fixiori, καλωτερη.

Et illi quidem tum generali, & communi, seu lenienti & mitiori, seu purganti, seu specificæ & propriæ, itidem tam quoad totum, quam quoad partes singulas seorsim, solitarias & diuisas non minus, quam vnitas & quasi compositas vel comitatas cum aliis.

Euacuant violæ in genere in vniuersum, vt herba tota emolliens, interius in olere sumpta, molliunt aluum, vt Oleracea alia, nitroſi generis; herba tota inquam, decocta, & partes singulæ, v. g. frequentius in clysteribus. Sic speciatim radici quoque albæ fibrosæ capillatæ virtutem esse catharticam testantur autores, vt Renealmus specim. Hist. Plantar. p. 143. & ex eodem mutuatus Raius. Radicum enim vnciæ tres concisæ, & in aquam feruentem, cum ab igne remouetur, iniectæ, aut vino per noctis spatium infusæ, vim purgatricem ipsis conferunt.

Idem flores VIOLARVM præstant suo loco & additamento, & in decocto, infuso, quæ æquipollent, succo, in aloe Violata, aliisque extractis, & inde paratis pilulis. Semen item puluerisatum, eodem Renealmo autore, & liquori immixtum sesquidrachmæ pondere vel in emulsione idem præstat.

Vnde nec VIOLARVM radix ab officinis Pharmacopoeorum absolute exulat. Quia enim Theophrasti elogio *αι πίζαν καιλίαν τοῖς Φυτοῖς εἰσι πάντας*, radices omnino ventres sunt plantarum, de virtute plurimum participant. Concedunt idem Mesue, ibique videndus Manardus in Annotationibus, saltim maiori quantitate, vt & Auerrhoes & Serapio.

Quod si seorsim & alterantes vires attendamus, merentur memorari & illæ, internæ & externæ, eæque vniuersales & particulares, ad usum medicum.

Inter

Inter vniuersales refrigerant, ex actiuis qualitatibus, & temperant, recentes quidem respectiue fere magis, utroque vtendi modo, in totius & partium harum vel illarum intemperie, inflammationibus internis & externis.

Flores VIOLARVM recentes gratissimo suo odore spiritus nostros mire deprehenduntur refocillare; ipso visu oculos, qui coeruleo colore gaudent, seu natibus, si quidem immediatum quasi habent cum spiritibus contactum, impositi, per se & cum sacculis.

Nec obstat in exsiccatis fragrantiam omnem quasi euanscere vna cum colore, cum eadem alias flores quoque borraginis & buglossæ recentes inter cordiales destituantur. Notabile tamen hoc est quoque, quod VIOLÆ flore pleno non solum singulis anni partibus flores suos continent, & sic quoque suaueolentem suum odorem retineant & spirent. Ne repetamus geminum phænomenon, eminus maiori odore arridere, proprius admotam, minus: & volatilitatem, ob teneritudinem sulphuris resoluti superficiarie magis expansi, breui & colorem & odorem fatiscere, nec ultra dimidium annum seruari.

Adde, quosdam experimenti loco laudare, prope cepas & allia satas violas maiori pollere fragrantia, vnde Thuanus canit: (vt posterius saltim adducamus;)

Vt si acres iuxta cepas & tetra seratur

Allia, flos gratum fragrantior inde per auras

Contactu ex olido collectum exhalat odorem.

Cuius causa latens sine dubio arcessenda a sale volatili, poros sulphuris magis pandente, & quod contraria iuxta se posita magis elucescant.

Valet illa refectio amoena in febribus quibuscumque

Porro militat etiam inter CEPHALICA. Et in hoc quidem casu dubium occurrit. Enim uero pro specifico in morbis conuulsu & neruosis reputatur, non solum a Di- scoride, Trago aliisque veteribus medicis, sed & recen- tissimis scriptoribus, v. g. a Bagliuo Praxeos med. Libr. I. Cap. 9. p. 114 edit. in 4to. Opponitur, in Dioscoride videri mendum esse, quod Libro 4. c. 122. de Violis agente, tan- quam in sede sua, textus hic, de hoc remedio agens, exiet quidem in Graeco, non item in versione Latina, ipsissimus vero idem in Libro eodem antecedente capite 120. quod agit de astere Attico. Et hic est: Φάσι δὲ καὶ τὸ πεφοείζον θερμό μεθ' ὕδατος ποθὲν, συναγχυτοῖς βοηθεῖν καὶ ἀπληψίαις οὖτις παίδων. Tradunt purpureum florem, si ex aqua bibatur, anginis & puerorum epilepsis mederi.

Expressis verbis id negat Renalmus l. c. p. 144. expe- rientia docuit, inquiens, non vacare impostura, antiquo- rum scripta non sine mendis ad nos traducta malim as- serere. Ut ut vero non sit de nihilo, in alterutro capite suspitione non carere repetita eadem plane verba; ratio tamen non abnuit, vel ipsis viribus concessis ab eodem in aliis, nec experientia in contrarium adduci potest, quam non promiscue specifica semper prodesse & absolute, an- tepileptica.

Confirmat textum Dioscoridis Plinius, iisdem ver- bis versum suis verbis, & Serapio. Idem uero communiter de VIOLA tricolore scribunt, quam in epilepsia salutarem commendant plures, unde & Stieffmutterlein vocant, quod nouercam infantum, epilepsiam, curet.

Videas etiam apud Heluctium VIOLAM melancholicam  
 dici

dici, quod siue ob colorem, ut apud Theophrastum Ere-  
sium μελανιον, siue ob effectum, ob vires cephalicas & cor-  
diales, perinde est, non iniuste dictum.

Id vero non tam odori seu VIOLÆ fragrantiae vide-  
tur adscribendum soli, quam particulis mucilaginosis a-  
crimoniam falsam inuiscantibus.

In floribus enim exsiccatis particulas mucilaginosas  
æque ac in foliis reperire licet, quarum intuitu tam flo-  
res, quam folia refrigerare, humectare, emollire, atque  
acrimoniam humorum temperare queunt, quamvis VIO-  
LARIA cum reliquis herbis emollientibus externe frequen-  
tius, quam interne consueuerit usurpari. Egregium est  
& animaduersione dignum, discutientia hæc vocari a Cor-  
nelio Celso Libr. 5 c. 11. & inter hæc Violam, quæ ad ea, quæ  
in corporis parte aliqua coierunt, maxime possunt. Si-  
cuti & Dioscorides de Materia Medica Libr. IV. Cap.  
CXXII p. 541. folia eius per se & cum polenta illita sto-  
macho æstuanti, oculorum inflammationibus, sedisque  
procidentiis auxiliari tradit.

Valentque itidem in refrigerando, humectando, e-  
molliendo & temperando aquæ destillataæ, tam florum,  
quam foliorum VIO.Æ nostræ.

Mucilaginosæ vero illæ particulæ sunt subtiliores &  
salinis terreis mixtæ, diffusæ item, sed faciliter coalescentes ac  
plicabiles, vnde & aquæ eiusmodi faciliter filamentosæ  
vi ignis evectas faciliter ad fundum demittunt. Imo dul-  
cia & gelatinosa, adeoque & mucilaginosa qua talia, ad  
eleuationem destillatoriam minus apta iudicantur, vid  
Wedelii Pharmacæ Acroamaticæ Libr. 2 Sect. I. Cap. I. p. 222.

Sirupus VIOLARVM, quippe qui genuinum suum re-

tinet colorem & odorem, pectoralis est & cardiacus, lympham aerarem mire demulcens ac tenuorem inspissans, pharyngicus est & frequentissimi hinc usus in Catarrhis, tussi, asperitate atque raucedine. Vnde Sirupum itidem VIOLARVM, tam simplicem, quam compositum Mesuæ, ad omnes pectoris & asperæ arteriæ, a causa calida affectus, magis conferre, quam ad æstum febrilem extingendum sitimque febrilem sedandam, solertissimus & in re Botanica versatissimus Simon Pauli in *Quadripart. Botanico* p. 166. statuminat.

Dum iulepus autem VIOLATVS febricitantibus propinari solet, potentius cum Emulsionibus, quam solus videtur refrigerare, mera quasi aqua saccharata, cui scopo quoque non minus, ac bili eneruandæ Tinctura seu sanguis VIOLARVM, eius quasi anima, & sic iulepi nomine magis dignus conducit.

Putant quidem non pauci magni nominis Medici Tincturas florum in Medicina parui aut nullius existere momenti, & quod agunt, menstrui saltem beneficio agere: Ast in hoc ipso utraque iungenda esse, sensus & ratio testatur, confirmante experientia. Menstrua enim extrahunt virtutem, & sunt symbolica, vnde dum flores colorem, odorem saporemque non inelegantem presentent, communicatum cum menstruo aquo, acido, quis negauerit esse earundem usum ad refrigerandum, obstericante vehiculo aquo licet diffuso & acido spiritu? Vnde non incommodè drachma una vel altera Tincturæ instillatur commode in cerevisiæ lib. seu mensuram dimidiām alterandi causa, ac varie remisceri potest eadem in potionibus, iulepis ac mixturis aliis.

In febribus præterea, variolis, pleuritide ipsa, communissimum hoc est remedium. Restinguit enim sitim & temperat intemperiem calidam biliosam aluumque simul apertam seruat, Tinctura VIOLARVM clyssata polychresta omnino. Obseruauit Poterius, & residuum a Tincturæ extractione exiccatum purgare & aluum soluere.

Acetum VIOLARVM spiritus excitat, capiti autem illitum, pariter phreneticis, teste Mylio, & dolenti, succurrit, ac Oleum infusum, artubus læsis ab inflammatione, quæ metuitur, defendendis simul inseruiens.

Idem Oleum in enemate pariter admiscere solet Timæus Libr. 3. Cap. 14. vbi aluus fuerit adstricta. Externe autem Linimentis emollientibus adiungit Franciscus Iœl Pract. Libr. 3. Section. 1. p. 270.

Conserua florum tam vulgaris, quam liquidior, vix diuersas a florum efficacia obtinet vires, dum confortare, lubricare & acrimoniam humorum temperare a Charas perhibetur.

Secundum sententiam autem Poterii in Pharmac. Spagyr. Libr. 3. Sect. 1. Ista VIOLARVM conserua aluum emollit, tussim iuuat, faucium vlcuscula sanat, & cor exhilarat.

Res illuc redit, virtutem VIOLARVM esse reuera polychrestam & commode euacuantem & alterantem dici posse comitatam, vt ea non solum diuersa Preparationis forma externa, illoque fine & radix & herba, & flores, & semen illarum suo loco inseruiat, & in Conserua, sirupo solutiuo, puluere, brodio, decocto, emulsione & aliis, pro re nata; sed & aperiendi, resoluendi, diuretico simul vsu vires suas exerat, vt in ictero, & præcipue in ischuria toto die id experiri licet. Et

Et seorsim itaque laxandi fine, seorsim & diuretica; adde & diaphoretica ipsa, virtute laudari meretur, quod vel spiritus aciduli exemplo confirmari possit. Excellit e nomine laudata maxime emulsio, e semine VIOLARVM cum aqua veronicæ parata, vrinam ciens & calculum exturbans, Laurenbergio Curation. Calculi vesicæ p. 34. & Scholzio Epist. 192. obseruantibus.

Vnde non mirum, quod semen violarum odorem Terebinthinatum spirans, insigne lithontripticum a D. Buttlero Medico Cantabrigiensi arcanum Needham apud Rarium asseruerit. Virtutem illam Diureticam insignem, atque in Ischuria probatissimam, videre licet latius in Amoenitatibus Materiæ Medicæ Wedelianis Libr. 2. Sect. 2. Cap. 10 pag. 383. & alibi. Smetius diuersis partibus id adscribit, quod hæc adstringant, & laxent, actiuis, passiuis, fermentatiuis, resoluentibus, moleculis aqueo-salino oleosisterreis earumque mixturæ; seu ut ipse loquitur quod rhabarbarum v. g. in se habeat partes ex tot ac talibus particulis concretas, quæ id præstent.

Basin optimam constituit semen VIOLARIÆ, accessionem iuuantia alia, semina q. frigida maiora, mili solis, vehiculum aquæ symbolicæ & alia ad exoptatum effectum, non omisis oculis cancerorum, sirupis & similibus, vnde hæ moleculæ aqueo salinæ oleosæ resoluunt, & archeum in expulsione iuuant, & ipsa vi laxandi communi conferunt non parum.

Nec de nihilo est, quod Johannes Fridericus Heluetius VIOLARIAM scribat signaturam habere & obtinere vesicæ vrinariæ, seu folia spectemus subrotunda, & in acum vergentia, seu fructum ciceris magnitudine, qui

cau-

cauliculo in spinas reflexo conditur iuxta radices, seu potissimum principia salina laudata.

Faciunt huc & usus Violarum secundarii non pauci. Faciunt ad gratiam coloris, odoris, saporis, ususque. Tincta suo colore, coeruleo rubello medicamenta alterantia & purgantia, diffusa, potionis, decocta, & concentrata, fluida & sicca, mixturam simplicem arcanum Tartari, essentias & spiritus albidos, & salia, arcanum duplicatum, imo & Tincturas symbolicas alias, ut Tincturam florum cordialium compositam.

Curiosum est, & abundare Violas colore, & eleganter variare. Liceat hic ideam colorum omnium adumbrare. Duo extremi sunt, albus & niger, intermedii priores: flauus, rubeus, coeruleus, posteriores, seu insequentes aureus, putpureus, tertius ex his resultans, intermedius: viridis.

Nulla planta videtur sub sole, tam pluribus, seu tantum non omnibus varians ac superbiens, quam Viola. In primis de ultimo id ad oculum patet, si vitrum flauum imponas coeruleo & perspicias, ita tertius emergit viridis.

Sin sirupo Violarum vel Tincturæ affundatur alcalicum fixum, in momento demonstratur color viridis, ideoque, quomodo & in corpore ipso seu substantiæ Violæ mutatio hæc fiat, & quanta luminis & sulphuris sit consanguineitas, & conuenientia, quæ item sulphuris & salium conuersio, concipi potest.

Memorari hic potest etiam puluis cyprius violatus Mysichti, quamuis, post illius tempora, loco florum il-

lorum radix iridis Florentinæ fuerit substituta, hodie vero & hæc omissa & in simplicius amyllum res successerit.

Cumque alterantia frigida magis sint communia, calida magis specifica, Violæ reliquis quoque partibus eo casu intemperatis calidis magis debentur itidem generalius, vt minus opus sit in iis specialiter occupari quoad usum. Sic & inter soporifera, & paregorica refertur, eodem titulo communi, sub quibus & reliqua complecti facile licet.

Quamvis autem semen sic Violarum nephro-catharticum existat, sirupus tamen solutius & Conserua Violarum manata non nisi aluum lubricam, & ille quidem longe potentius, si cum relictis calycibus nauseofis, praecunte Tourne fortio in Historia Plantarum circa Parisios prouenientium, fuisset preparatus.

Sic & in genere non solum aliis alterantibus, & illuc pertinentibus gratiam illam suam foenerant, sed & Medici quamplures, in primis nostrates, purgantia violarum accessione illud fategerunt praestare, speciatim sirupi Violarum. Recepérunt v. g. ut plurimum resinæ Gialapæ scrupulum dimidium, Tartari emetici gr. j. vel ij. sirupi Violarum, aquæ cinnamomi a. 3j. M. F. Haustus. Idem facere in sua Praxi Parentem nostrum honoratissimum, memini. Rx. resinæ gialapæ, scammonii a. gr. v. spiritus theriacalis 3j. sirupi Violarum 3j. M. F. l. a. haustus. Detur in fistili. S. Purgier-Träncklein auf einmabl.

Illud ipsum veteribus in usu fuisse, vel exemplo dictorum Trochiscorum diaion, seu e Violis dictorum, probari potest, vim purgandi mutuantium a turpetho,

scam-

scammonio & manna, quamuis, in praxi selecta, hodie non paucis fere exoleti sint officinis, in Pharmacopoli tamen Persica recensiti & extantes, imo & ipsa Londinensi, vnde id cuiusuis arbitrio relinquimus.

De vsu ad secundinas & menses promouendos iam superius citauimus, ex Coi testimonio, si quidem minus dubitandum est de vsu radicis eiusdem in Vino, quod vel communi laxandi vsu præstiterunt, illud intelligendo.

In reliquis vero pluribus speciebus supernacaneum dum ximus occupari latius; satis fuerit, hanc  $\text{\textgrave} \text{\textacute} \text{\textgrave}$  έξοχην delibasse & exhausisse pro virili. Atque sic vel ex leuidensibus hisce patere potest, leuidensem talem herbulam, qualis est Viola, non modo ad decantandam & demonstrandam diuini Numinis gloriam quam maxime facere, verum etiam ad salutem humani generis, & vel prima anni ætate progerminare, vt vernis aliisque morbis suam opem largiter commodet.

Celebratus iam olim etiam fuit vsus Violæ mechanicus ad pigmenta, tum fabricanda, tum exornauda, si quidem tintura pollet pereleganti, diuite & amoena, vt odor cum colore merito certet. Extat de hoc locus apud Vitruvium Libr. 7. cap. 14. p. m. 147. Fiunt etiam inquit, purpurei colores infecta creta ex floribus. Itaque tinctores cum volunt Sil Atticum imitari, Violam aridam coniicientes in vas cum aqua conferuescere faciunt ad ignem: deinde cum est temperatum, coniiciunt in linteum, & inde manibus exprimentes recipiunt immortarium aquam ex Violis coloratam, & ex ea eretriam infundentes, & eam terentes efficiunt filis Attici col-

36 DISSERT. IN AVGVRAL. MED. DE VIOLA MARCIA PURPVRE.

rem. Hodie laccæ nomine globuli efformantur, *Kugel-lack*. Confer. Neri Libr. de arte vitraria c. 109. & 110. p. m. 193.

Agnem claudat & usus moralis & mysticus ad fabricanda emblemata. Sic grande decus terræ, ipsa sua humilitate, demissio excellit odore, non ullo ingloria sensu, viribus omnigenis. Sanis arridet & ægris, omni ex parte placens, grata quoisque recens, rubeo suffusa pudore.

SOLI DEO GLORIA.

